



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Tertio die Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**



mouet, extat recentior beati Adalardi vita, in cuius præfatione hic vitæ scriptor manifestè secernitur à Paschasio. Post laudes enim Adalardi & Ansharij, subditur Corbeiam etiam illustrari corpore & reliquijs Rarberti Paschasij, qui luculentum edidit librum de Corpore & Sanguine Domini. Qui, qualis & quantus fuerit, in quadam epistola testatur abbas Lobienfis Hirigerus, qui eo tempore inter sapientes habebatur sapientissimus. Deinde regreditur ad sancti Adalardi vitam, quam ab vno filiorum tanta amplitudine compositam scribit, vt magis epithalamium dici possit, quam textus historię.

Ex dictis liquet etiam aberrare quosdam Berthemi incolas, qui sanctum Adalardum describunt Haymonis filium minorem natu, in suo pago nutritum cum giganteo equo, quem in templo depictum habent: cum ex citata historia constet eum fuisse maiorem natu, ex patre, vt lectioes festi habent, Bernardo, fratre Pipini regis. Constat tamen ex authenticis instrumentis, etiam ipsius sancti viri manu subscriptis, multa in Berthem, ex donatione eius à Corbeia, quædam etiam ab incolis, possideri.

Ex dictis præterea colligitur sanctum virum impropria, sed ab alijs etiam vsurpata locutione, vocari, in vita sua originali, nepotem Pipini, & consobrinum Caroli. Nam minus cautè quidam primarium vitæ scriptorem hinc reprehenderunt, propria tantum significatione attenta.

### Tertio die Ianuarij.

#### *De sancta Bertilia virgine, in Mareolo.*

*Ex historia vitæ & elevationis, manu-scripta, & ex informatione Domini Francisci Maugrat, Pœnitentiarij Atrebatensis.*

**I**N curia sancti Amandi, quæ dicitur Mareolum, depositio beatæ BERTILIAE virginis. Hæc ex nobilissima Francorum prosapia oriunda, adamata fuit à Guthlando quodam, qui virgini & generositate & diuitijs par videbatur. Cui ipsa fortiter reluctabatur, importunis tamen paren-

tum



tum molestijs tandem cessit, & Guthlandum in  
 sponsum accepit. Qui cum ea in castitate, & omni  
 sanctitate, succreuit: quod meritis beatæ virginis  
 tributum non ambigitur. Erant autem ambo re-  
 ligione clari, hospitalitate præcipui, castitatis a-  
 matores feruentissimi. Beato ergo Guthlando  
 prius ab hac vita discedente, & ut indubitanter  
 tenetur, in paradisi delicijs collocato, sancta Ber-  
 tilia omnia sua patrimonia diuersorum locorum  
 monachis, canonicis, & sanctimonialibus, sub  
 chartarum auctoritate tradidit, Solum Mareo-  
 lum reseruauit, in quo basilicam condidit, &  
 aram statuit in honorem almi Amandi. Adiecit  
 & cellulam basilicæ, in qua meritis & annis ma-  
 tura, de hoc saculo migravit. Venerabile autem  
 corpus in dicta ecclesia est tumulatum, & multi  
 beneficia optata consecuti, virginis nomen cele-  
 brarunt. Ob quæ Atrebatenses, & eorum vicini,  
 de ea in feretrum eleuanda, ut publicè & solem-  
 niter inter sanctas veneretur, Gerardo secun-  
 do, episcopo suo, suggererunt. Publicauit itaque  
 futuram eleuationem, in die exaltationis sanctæ  
 Crucis: cumque per superuenientem infirmita-  
 tem impediretur, noluit piam populi expectatio-  
 nem defraudare: quare vices suas quatuor commi-  
 sit abbatibus, qui eam eleuarunt anno millesimo  
 octuagesimo primo. Deinde anno ducentesimo  
 vigesimo octauo, cum vas primum sacrilegi fures  
 auro & argento denudassent, Petrus abbas di-  
 gnus vas præparauit. In quod Pontius, episco-  
 pus Atrebatensis, octauo Idus Octobris, reliquias  
 reposuit, cum magna solemnitate. Ipse contulit  
 indulgentias, & magister Azzo, canonicus Atre-  
 batenfis, sermonem ad populum faciebat. De  
 quibus

*Sponsus pro  
 marito non  
 cognito, quo  
 modo lo-  
 sep. & passus  
 fuit Maria.*



Ianuarij 3.

Cap. 16.

quibus omnibus clarum est testimonium liber vitæ & eleuationis, iam olim conscriptus. Scribitur de eadem virgine ad primum antistitem Gerardum, libro secundo Chronici Cameracensis: *est etiam in vico Maraculo, alias Mareolo, monasterium Canonorum, vbi sancta Bertilia quiescit: qua hoc ipsum suum prædium sanctæ Mariæ tradidit.* Intelligitur autem per sanctam Mariam cathedralis ecclesia Atrebatensis. Mareolum enim est episcopi Atrebatensis; tenuem habens abbatiam Canonorum, ordinis sancti Augustini in ecclesia sanctorum Amandi & Bertiliæ.

Quo loco adhuc visuntur Fossæ, in quibus Iulius Cæsar dicitur castra metatus. Fuit & alia Bertilia coniux beati Vualberti, cuius mentio erit in narratione de sancta Vualdetrude. Laudatur etiam illustris & Deo deuota Bertilia in vita S. Vualerici abbatis.

Quarta die Ianuarij.

De sancta Pharailde virgine.

Ex officio Gandensi, & ex monumentis ecclesiarum sanctæ Pharaildis.

**G**Andani, natale sanctæ PHARAILDIS virginis, quæ parentes habuit, Theodoricum Lotharingie Ducem, & sanctam Amelbergam, sororis Pipini principis filiam: fratrem materno ex latere, sanctum Emebertum, Cameracensem episcopum: sorores, sanctas, Raineldam & Gudilam. A beata Gertrude cognata sua de sacro fonte leuata, literisque instructa, pietatem à teneris annis egregie coluit. Cumque impedire non posset quin à parentibus nuptij daretur, per omne tamen coniugij tempus illibatam virginitatem custodiuit, eadem nimirum præpotenti sancti Spiritus gratia prædita,